



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XI. Cur pestem non solùm præ bello, sed etiam præ fame in pœnam suam elegerit Dauid ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

IX

manibus in servitutem filium? Quibus oculis aspiciam servientem? Quibus oculis discedenti valedicam? Quibus factum excusem sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo vendidi. Funestior ergo iam pauperie mensa, quam diuisis. Ille addicit alienos, ego meum vendo. Ille necessitatē imponit, ego afferro voluntatē. Vi sit excusabilior causa; adiiciam: Fili, pro fratribus tuis servies, ut illis querantur alimenta. Et Ioseph à fratribus suis in servitutem venumdatus est, postea & ipsos, & patrem, pauit. Respondebit & ille: Sed non eum vendidit pater, sed fleuit amissum. Sed postea etiam ipsi in potestatem dinitis venerunt, & vix postea potuerunt liberari. Genus eius dinitijs Aegypti, multa atate, seruinit. Vende me postremò pater ea condicione, ne diuites emant. Hac si fatear vera, quid faciam? Nullum vendam. Sed cum unum considero, omnes video fame pereuentes. Si unum tradam, quibus oculis video ceteros de mea impietate suspectos, ne alios quoq; vendam? Quo pudore regrediar domum? Quo modo intrabo? Quo habitabo affectū? qui mihi alegani filium, quem morbus non absumpsit? non mors abstulit? Quia conscientia considerabo mensam meam, quam sicut nouella olivarum in circuitu tot filij vestiebant? Lapidem ista moueant. Quare his recentis, istum epilogum adjungit Ambrosius: Hec pauper, te praesente deplorat, & tibi, auaritia aurem obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiscit, & solus dives non flecteris. Hec D. Ambrosius, quæ sapientius cogitantur, dicuntur, fiunt à famem passis, & tamen auaros non flectunt; non molliunt lapideos, non frangunt ferreos. Sed quis pater talia audiendo, vel spectando Temperet à lachrymis? An non mille mortes ille huiusmodi miseriae in liberis videndæ atque experiundæ jure præoptet? Sed de hoc argumento plura se se offerunt à nobis discutienda.

C A P V V T X I.

Cur pestem non solum præ bello, sed etiam præ fame in pœnam suam elegerit David?

I.
2. Reg 24. 2.



Amem peste magis formidandam esse, etiam sapientissimi Regis calculo confirmatur. Iussit David populum numerari, & tamquam in populi sibi subjecti multitudine gloriens superbè peccauit. Ad quod dilectum

Etum etiam accessit, quod numeratio illa non sit facta secundum legem, in qua dicitur: *Quando tuleris summam filiorum Israël, da bunt singuli preium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.* In hac delicta incidere regem permisit Deus, populo propter alia delicta iratus. Ait enim sacra historia: *Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commouitq; David in 2. Reg. 24. 14. eis dicentem: Vade, numera Israël & Iudam.* Quo modo autem commouerit, id est, commoueri permiserit Dominus, ut David vellet populum numerari, alibi clarius his verbis indicatur: *Conseruitq; 1. Paralip. 21. 6. rex it autem satan contra Israël, & concitanit David, ut numeraret Israël.* Ita, peccante & populo, & rege, populus cum rege, & rex in populo suo est punitus. *David populum numerando peccavit,* ait S. Gregorius, & populu poenam suscepit, quia secundum merita plebium disponuntur corda rectorum. Incidunt in peccata etiam qui Deum alioquin timent, sed citò in viam revertuntur, conscientia stimulante. *Itaq; percusso cor Davidem, postquam numeratus est 2. Reg. 24. 16. populus;* & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egini misi. Agnouit culpam, doluit, accusauit se, penitentiam egit, veniam precatus est. Et veniam delicti dedit illi Deus, sed penitentiam non remisit. Surrexit itaq; David manè, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & Videntem David, dicens: *Vade & loquere ad David: Hac dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi.* Cumq; venisset Gad ad David, nuntianit ei dicens: *Aut septem annis veniet tibi famae in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit sermonem. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est, ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordia eius sunt) quam in manus hominum. Immisitq; Dominus pestilentiam in Israël, de manè usq; ad tempus conflatum, & mortui sunt ex populo, à Dan usq; Bersabee, septuaginta millia virorum.

Eadem historia recensetur, in libro primo Paralipomenon, sed in poena appetit non exigua diuersitas. Suprà enim dixerat Gad: *Aut septem annis veniet tibi famae in terra tua: hic autem*

idem

II.

O 2

1. Paralip. 21. idem Propheta narratur, dixisse: *Elige, quod volueris: aut tribus annis famem.*

Si trium annorum fames erat eligenda, ergo non septem: si septem annorum, ergo non trium tantum? Sed facile soluitur ex ipsa historia hic nodus. Quia in libro cit. Paralipomenon numerantur tantum tres anni famis adhuc restantes & futuri, in altero autem regum libro nominantur septem anni, quia ibi illis simul comprehenduntur quatuor anni famis, quos iam tunc pariebantur Israëlitæ atque exantlauerant, propter in-justam oppressionem Gabaonitarum. Quorum quatuor annorum experientia & calamitate doctus David, maluit eligere trium die-rum pestilentiam, quam adhuc per tres annos subditos videre fa-me emaciatos, & audire, passim confectos. Tantum in fame, præsertim diurna, malorum contineri judicavit. Quamquam & alia suppetunt cauſæ, ob quas voluerit tertium genus duobus reliquis flagellis anteponere. Quæ quia ad severitatem diuinoru-m judiciorum, æquitatemque intelligendam multum habent mo-menti, non sunt à nobis hoc loco, dissimulandæ.

III.

Primò igitur, qua de cauſa, justus & potens Iudex electio-nem Dauidi obtulit dicens: *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi?* Vel æquales hæ fuerunt inter se se-pœnæ, vel inæquales. Si inæquales, cur diuina illa & exactissima æquitas, eidem delicto posuit pœnas inæquales, vt vnum idemq; peccatum magis minùsue plesteret? Si æquales, quid opus fuit electione? perinde enim erat, fame, an peste, an ene perirent.

2. Reg. 24. 13. *septuaginta millia virorum.* Ad quam quæſtionem respondetur, DEVUM justum futurum fuisse, siue tres illæ pœnæ æquales fue-rint, siue inæquales. Siquidem certum est, nullam tunc pœnam culpa ipsa futuram minorem, et si vna pœna alterà maior fuisset. Quia et si reus certæ pœnæ exoluendæ obnoxius est, non tamen ita eidem inferendæ obstrictus est judex, vt gratiam facere reo, & aliquid de pœna, vel etiam illam omnino remittere non possit. Quæ potestas cùm sit etiam penes Principes, & quosdā inferiores magistratus, cur non sit etiam penes summum Iudicem, qui vtiq; Dauidi tam manè surgenti, & delictum adeò ardenter deprecan-ti potuit eam gratiam exhibere, vt eligeret pœnam mitiorem. Quod si verò omnes tres pœnæ fuerunt æquales, itidem justissimè illi

illi optio potuit offerri, vt eligeret, quam putaret sibi fore tolerabiliorem, vel magis debitam, vel etiam maius pœnitentia exemplum extituram. Sed vt rem distinctius declaremus, verosimilis est, à parte rei, & in diuinis oculis tres illas pœnas magnitudine fuisse & exitio ipso æquales, tempore & duratione, atque etiam humana æstimatione inæquales. Famem enim septem, aut trium annorum, juxta dicta trium annorum, hostes trium mensium, pestem trium dierum proposuit Devs. Tempore meritò inæquales esse debebant, vt magnitudine fierent æquales. Sic enim quod vni aderat in intensione, alteri ab extensione accedebat, & *septuaginta millia virorum*, quæ trium annorum spatio per famem consumpta fuissent, tribus mensibus potuissent ab hoste deleri; tribus autem diebus à peste fuerunt sublata. Quibus omnibus modis crista Dauidi euulsa sunt, quas erigebat, cùm scire potentiam gloriamque suam vellet, quando subditos suos numeravit. Quia in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate *Prou. 14. 12.*
plebis ignominia est Principis. Hinc Dauid dixit ad Iacob *Principem*, *2. Reg. 14. 2.*
exercitus sui: Perambula omnes tribus Israël à Dan usq; Bersabee, &
numerare populum, ut sciam numerum eius. Cur scire voluit? vt sciret potentiam suam. Imminuenda ergo erat multitudo, vt superbia imminueretur. Et poterat rex facile ex hac ipsa immunitone intelligere, sicut trium dierum angustijs *septuaginta milia virorum* capitibus imminuta est illa multitudo, ita tantumdem numerum, alijs tribus diebus, immò ijsdem, immò vno die & hora à Deo è vita exturbari potuisse.

Tametsi autem clades æqualis esset reipsa, quæ inferri quivisset, per hoc genus pœnarum, humana tamen æstimatione, ob varias causas, videbatur inæqualis. Quamobrem perdifficilis Dauidi electio accidebat. Vnde dicebat; *Coarctor nimis, ipsaque 2. Reg. 14. 14.*
mali, quod euadere non possum, perplexitate affligor; &, vt alibi
dicitur: Ex omni parte me angustia premunt. Pestilentia res est saua. 1. Paralip. 21.
Hostis truculentus. Fames diurna. Omnia haec mala, mala sunt 13.
magna, & formidanda. Multa in illis possunt in omnem partem
considerari. Plurimum dierum deliberatione opus esset. Sed adeo
Propheta, & vrget responsum, & seueræ denuntiationi clausulam illam cum autoritate adjicit: Nunc ergo delibera, & vide, 2. Reg. 14. 13.

O 3 quem

IV.

quem respondeam ei, qui me misit, sermonem. Ita, velut circulo circumscriptum, adegit respondere. Sed quia ad se, & ad Deum per poenitentiam redierat, responsonem non præcipitauit. Citò, sed non temerè dixit: *Melius est, ut incidam in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quam in manus hominum.* Quid ita?

Hebr. 10. 31. An non horrendum est incidere in manus Dei vincentis? An non
Dan. 13. 23. Susanna contrarium rectè censuit, quando censuit, melius sibi
 esse incidere in manus hominum, quam Dei? Nimirum duplex
 est poena, quæ homini, ob peccatum infertur, æterna, vel tempora-
 lis. Si peccasset Susanna, ab accusatione senum, & inde etiam
 à poena libera, fuisset; sed poenam Dei æternam incurrisset; in-
 quam, quia incidere horrendum est, melius fuit illi poenam Dei
 æternam euitare, & incidere in calumniam, & lapidationem
 temporalem. Quòd si autem temporalis, pro peccato, poena vel à
 Deo, vel ab homine sustinenda est, sapientissimè facit, qui mauult
 in manus Dei, quam hominum deuenire. Deus enim, etiam cùm
 irascitur, misericordia recordatur; *Multa enim misericordia eius
 sunt,* ait: at homines minus miserentur, magisque saeuunt. Et,
 esto, Deus aquæ magna poena puniat, ac homo, longè tamen af-
 fligit benigniore animo, & multò tolerabilius est pati à Deo,
 quem justum esse scimus: homines autem, præcipueque si hostes
 sint, plectunt cum quadam acerbitate & atrocitate, quæ de se in-
 tolerabilius est, quam poena ipsa. Adde, quòd David, cùm sci-
 ret, Deum esse immensæ misericordiæ, crediderit multò, quam
 homines hostilesque animos exorabiliorem; ob quam caussam
 sperauit, aliquid adhuc, de multa ab illo inferenda, remitti
 posse.

V.

Quando igitur dixit: *Melius est, ut incidam in manus Domini,*
 hoc est, ut sustineam poenam à Deo immissam, quam in manus
 hominum, & poenas ab illis illatas, cur Gad intellexit, pestem ab
 illo, & non famem aut bellum eligi, cùm hæc omnia essent à
 Deo? Ita sanè, omnia sunt à Deo, sed bellum per manus homi-
 num furit. Fames autem, et si sæpe veniat à sterilitate, sine ho-
 minum vastatione: non rarò tamen etiam hominum malitia
 procuratur, idque tribus modis. Nam primò malefici ipsi, per
 grandines, siccitates, tempestates, dæmonum artes, vel segetes in
 herbis,

herbis, vel messes in campis aut horreis destruunt & occidunt. Nec quisquam satis potest esse cautus, contra has Canidias, si eis Deus frenum laxet. Secundò saepe metunt hostes, quod non seminarent; aut, quod metere non possunt, vngulis equorum proculcant, vel voracibus flammis dant absumentum. Quo pacto offensus à Philistæis Samson dixit: *Ab hac die non erit culpa in me* Iudic. 15. 3. contra Philistheos: *faciam enim vobis mala.* Perrexitq; & cepit trecentas vulpes, caudasq; earum junxit ad candas, & faces ligauit in medio: quas igne succendens, dimisit, ut huc illucq; discurrenter. Quastationem perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis, & comporata iam fruges, & adhuc stantes in stipula, concremata sunt, in tantum, ut vineas quoq; & olineta flamma consumeret. Ad eumdem modum, Absalom misit ad Joab, ut mitteret eum ad regem, qui noluit venire ad eum. Cumq; secundo misisset, & ille noluisse venire ad eum, dixit seruis suis: *Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni.* Succenderunt ergo serui Absalom segetem igni. Ita se se & hostes gerunt. Nam Phalaris tyrannus, in eo bello, quo Sicanos Agrigentini oppugnabant, cum eos excindere nulla ratione possent, multo frumento comportato, suam bellum fecit. Ad hæc frumentum, quod in castris habebat, eis reliquit, ea conditione, ut eius loco reciperet, quod post meteretur. Gratis animis receperunt Sicani. Phalaris effecit, vt, qui frumento præterant, pecunijs corrupti, tecta ædificiorum dissiparent, quo facilius frumentum computresceret. Quod verò metebatur, ipse ex pacto accepit. Itaq; cum omnem à regione fructum dedissent Phalaridi, eum verò, qui in urbe tenebatur, corruptum inuenirent, necessitate compulsi, ob frumenti inopiam, ei se dediderunt. Qua bellica arte etiam Belisarius vsum tradit Procopius. Ille enim cum magnam vim frumenti Rauenæ, quam oppugnabat, in publicis horreis adhuc recordi cognouisset, ex incolis quempiam pecunia corrupit, vt horrea cum frumento clam concremaret. Igitur hostium etiam manu famæ paratur. Tertiò homines in ipsa fame multiplicant & augent famem, per avaritiam, dum etiam, qui frumento abundant, tamen non succurrunt indigentibus, sed illud reconduunt, & in maius pretium reseruant. His tribus modis David

Polyen. lib. 5.
& Frontin.
lib. 3. cap. 4.

in manus hominum incidere potuisset, si famem elegisset. Omnis modis potuisset famem crescere sine modo. Nam benefici, cum per se sint maleficijs auctorati, & tantum conentur, quantum possunt nocere, insuper etiam à cacodæmone, sine cessatione, ad nocendum instigantur. Hostes autem existimant, quantò plus hostibus damni creant, tantò sibi maius nomen gloriari que comparari. Denique auari, quia infatiables sunt, quò magis vident famem crescere, eò magis crescere & lucra sua arbitran-

Prou. 30. 14. tur. Ita bellum & famae sunt generatio, que pro dentibus gladios habet, & commandis molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & panperas ex hominibus. Sanguisuga due sunt filiae, dicentes: Affer, Affer. Has duas filias, verè sanguisugas, magis abominatus est Dauid, quam ipsam pestem, sine hominum additamento, vel à sidere, vel ab aëre descendente, vel, sicut euenit, ab Angelo percutiente, prouenientem. Ob has caussas satis videtur, quid petierit è tribus Dauid, scilicet pestem; & non bellum, per quod clarum est, eum in manus hominum venturum fuisse; immò nec famem, in qua ipsas manus hominum non eualisset. Licet aliqui putent, à solo eum bello tantopere abhoruisse, & persecutionem ab hostibus tolerandam excepisse; de alijs autem duabus plagiis nullam eum elegisse, sed in manu ac dispositione libera Dei reliquisse, vt ipse vel famem vel pestem decerneret; Deum autem pro misericordia sua, pestem decreuisse. Sed hoc responsum non satisficeret Prophetæ Gad, qui absolutum ac determinatum responsum petierat, inquiens: Nunc ergo delibera, & vide, quem respondam ei, qui me misit, sermonem. Putant alij, Dauidem, per alias verba, quæ in Scriptura non sunt expressa, pestem elegisse. Sed hoc non est necesse, cum Gad videns arcanam Dauidis cogitationem, eo ipso intellexerit, pestem à Dauide eligi, quia audijt eum dicere: Melius esse incidere in manus Domini, quam in manus hominum. Siquidem, vt dictum est, etiam per famem, in manus hominum incidisset. Ad pestem autem propagandam, homine nullo opus fuit; Angelus enim Domini, vel aëre pestifero, vel alia re venenata corporibus humanis admota solus potuit interimere, quos Deus, ob eorum peccata, vel alias justas caussas, voluit interemptos.

2. Reg. 24. 13. A.D.

2. Reg. 24. 13. inquiens: Nunc ergo delibera, & vide, quem respondam ei, qui me misit, sermonem. Putant alij, Dauidem, per alias verba, quæ in Scriptura non sunt expressa, pestem elegisse. Sed hoc non est necesse, cum Gad videns arcanam Dauidis cogitationem, eo ipso intellexerit, pestem à Dauide eligi, quia audijt eum dicere: Melius esse incidere in manus Domini, quam in manus hominum. Siquidem, vt dictum est, etiam per famem, in manus hominum incidisset. Ad pestem autem propagandam, homine nullo opus fuit; Angelus enim Domini, vel aëre pestifero, vel alia re venenata corporibus humanis admota solus potuit interimere, quos Deus, ob eorum peccata, vel alias justas caussas, voluit interemptos.

Elegit

Elegit ergo pestem David. 1. Quia ex parte Dei, hoc pacto misericordiam sperauit. 2. Quia ex parte hominum timuit accessorum molsum crudelitatis. 3. Quia sic etiam se ipsum pœnæ offerebat; ut qui peccasset, etiam in se ipso puniretur. Si famem, si bellum elegisset, murmurasset utique populus, dixissetque:

Quidquid committunt reges, plectuntur Achiani.

Famem enim non tam reges, quam populi patiuntur. Reges abundant frumento, distenta habent horrea; granaria plena seruant, cellarariaque in multos annos. Veli si vastentur agri in illorum regnis, tamen illis suppetunt pecuniae, & modi, aliunde alimenta aduehendi, sicut olim Iacob, in fame, frumentum ex Aegypto ac-
ceruit. At populo & fruges desunt, & pecuniae. Itaque plebe famente, & ad ultimum usque exitium emaciata, reliqui Principes, aliquique nummati domini, possunt conuiua instituere, dapibus satiari, delicijs saginari, vino inebriari; & saepe, in ipsa fame extrema, nesciunt, quid sit fames, quam non sentiunt. Vnde meritò populus illud malum tanto impatientius tolerat, quia videt magis reos, minus pati; dum dicit quisque apud se, *Quanti Luc. 15, 17.* peccatores abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Quid si autem David hostium persecutionem elegisset? itidem locum querendi reliquisset populo: ipse enim cum viris fortissimis vel intra urbes & loca munitiora se recipere, vel se se saltem præliando defendere potuisset, & non in prima acie stare. Tunc enim, eo post initia latente, soli à fronte pugnantes cecidissent; ipse, amissa victoria, cum reliquis fuga se se seruasset. Elegit igitur pestem, à qua dominante neminem vel locus, vel dignitas, vel sceptrum & corona defendit. Hac regnante, communis omniū fors est,

Mista senum ac juuenum deflentur funera: nullum.

Sens caput Proserpina fugit.

4. Elegit hanc plagam David, quia tametsi unus annus diræ pestis grauior est, quam unus annus famis, aut hostis; attamen sicut pestis excedit hostes, & hostes excedunt famem magnitudine pœnæ atque atrocitate, ita, ut pœnæ inter se se æquarentur, tempora pœnæ inæqualiter inter se se fuerunt à justissimo judice Deo assignata. Itaque tempora famis maiora, quam-

P tempora

VI.

Horat. lib. I.
Carm. 4.

VII.

114 Cap. XI. Cur David pra bello & fame pestem elegerit?

tempora belli; & tempora belli maiora, quam tempora pestis erant constituenda. Hinc septem aut tres anni famis, tres menses belli, & tres dies pestis sunt nominati; ut quidquid eligeret David, secundum measuram Dei, aequale malum eligeret, ratione poenae ipsius; licet ratione humanae estimationis eligeret pœnam citius desitaram. Magui enim fit, apud homines, duratio & diuturnitas suppliciorum: neq; est melius morte in malis rebus, ait Comicus, & alias Poëta:

Ouid, lib. 3.
de Pont. el. 5.

Mitius ille perit, subita qui mergitur vnda,

Quam sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Hinc etiam superiore cap. diximus pestem fame esse tolerabiliorum, quia citius hominem dolore liberat, fames autem diutiis cruciat; tandemque & ipsa necat, postquam diu cruciavit.

VIII.

5. Hoc etiam titulo pestis præ fame eligi potuit, & præ bello; quia triplex dupli, duplex simplici malo magis est metuendum. Cum ergo pestis non secum trahat famem, aut bellum; ex bello autem fames, ex fame pestis oriatur, recte humana estimatione, à sapientissimo rege magis fames, quam pestis; & bellum, quam fames & pestis, fuit formidatum. Si enim famem elegisset, è qua pestis erat nascitura, duplex malum; & triplex, si bellum elegisset, visus fuisset elegisse. Nimis enim pro dolor, experti sumus saepe, quantum vel unus, vel multò magis duo exercitus, aut plures absument frumenti, & aliorum alimento in prouincia, quam depopulantur. Atque hinc inopia, hinc fames. In fame autem, hominibus non humanos cibos edentibus, sed furfure, vrticis, herbis, immo & bestijs noxijs, & arido corio vescientibus, neq; à cadauerum foetore abstinentibus, quid necesse est sequi, nisi pestem? Exemplum huius rei Beda his verbis refert. *Attila adeò intolerabilis reip. remansit hostis, ut totam panem Anglic. c. 13. Europam, excisis inuasisq; ciuitatibus atq; castellis corroderet. Quin & iisdem temporibus fames Constantinopolim inuasit, nec mora, pestis secuta est. Sed & plurimi eiusdem urbis muri, cum quinquaginta septem turribus corruerunt, multis quoq; ciuitatibus collapsis, fames & aerum pestifer odor plurima hominum millia jumentorumq; delevit. Qui ergo bellum inuitat, tergeminum malum inuitat. Præterquam, quod in bello, agri, prata, domus, pagi, integræ ciuitates,*

cum

cum hominibus & jumentis delectantur. Quamobrem, cùm gra-
uissimè olim Dei populo suo voluit minitari, hostes illi est mi-
natus. Et nunc ostendam vobis. quid ego faciam vinea mea: auferane
Ila. 5. 5.
sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit ini-
conculcationem, &c. Propterea captiuus ductus est populus mens, quia
non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius
siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os
suum absq; ullo termino; & descendunt fortis eius, & populus eius, &
sublimes gloriosig; eius ad eum, &c. Et elevabit signum in nationibus
procul, & sibilabit ad eum de finibus terra: & ecce festinus velociter
veniet. Non est deficiens, neq; laborans in eo, non dormitabit, nequo
dormiet, neq; soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia
calceamenti eius. Sagittæ eius acuta, & omnes arcus eius extenti. Vn-
gula equorum eius, ut filex, & rota eius quasi impetus tempestatis.

Hostes itaque & sauiores sunt peste; & plures sæpe, immò
nonnumquam vna hora (dum vrbibus captis omnes dant inter-
necioni, aut in prælio totos interitunt exercitus) imparatos
mactant, & ad Tartara mittunt. Quàm multi enim milites vno
vulnere sagittæ, hastæ, plumbeæ glandis intereunt? quàm multi
ruina murorū, aut pyrij pulueris inflammatione, vel opprimun-
tur, vel in sublime feruntur, & se antè mortuos esse, quàm mori,
experiuntur? Quòd si ergo S. Hieronymus obseruauit, etiam
S. Hieronymus
sanctos viros morte terrori, propter incertum judicij, & ignorationem
lib. tij. in Ila.
sententia Dei, quam sedem habituri sint; quantò magis metuenda
erit mors, & mors subita, quæ poenitentia tempus incidit, ijs, qui
non sanctè viuunt, qui pleni furtis, rapinis, ebrietatibus, cædibus
injustis, adulterijs & fornicatione, nihil minus quàm de salute
sua possunt cogitare? Id, ob quod maximè pestilentia formida-
tur, est, quòd tam citò hominem expeditat; & frequenter corre-
ptos à mente abalienet, ut non possint amplius rebus suis consu-
lere, peccata confiteri, & sacri viatici participes esse. Et tamen
rarissimè tam atra pestis aërem tener, vt homines eodem mo-
mento è medio tollat, quo aggressa est. Tantò igitur, etiam
hoc nomine, perniciosius est bellum peste, quia plerumque minus
spatij ad poenitentiam agendum hominibus concedit. Nihil
enim frequentius est armis bellicis, quàm vt simul tangant, &

IX.

116 Cap. XII. Quid sit morbus, & quam magnum malum? occidant. Quare etiam hac ipsa de causa minus malum est peste, quam hoste plecti. Enim uero longa experientia docuit, homines, tempore pestis, longè, quam in bellis, fieri meliores; dum, in communi omnium periculo, quisque sibi cauet, seque ad moriendum accingit, lue grassante; at in militia, ipsa viuendi licentia homines mortis immemores reddit; quos tamen maximè de vita non securos, & de morte sollicitos esse deceret. Mori plane timeat, ait S. Cyprianus, sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehenna ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus paeniternis flammis torquerebunt: mori timeat, cui hoc mora longiore conferatur, ut cruciatus eius & gemitus interim differatur. Mortalitas ista ut Indis & gentibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est. Quin & verè poenitentes, quia agnoscunt, se vita indignos, se libenter, tamquam victimam, morti offerunt. Qua de causa etiam David non elegit bellum, è quo euadere potuisset; non famem, quam quiuisset evitare; sed pestem, cui ipse obnoxius esset. Quin tum, quando vidit Angelum cædente populum, dixit ad Dominum. Ego sum, qui peccavi, ego inique egī: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Hic est finis plagarum Domini, poenitentia nostra; ut reges ipsi Principesque luant, quod peccaverunt; non ut populum dumtaxat, pro se finant vel in bello mactari, vel in pace famere, vel in peste mori; vel soli soluant, quod debent; vel simul diluant, si simul peccauerunt.

^{2. Reg. 24. 17.}

I.

Multa sunt, quæ vitam humanam miseram faciunt, inundationes, incendia, deprædationes, sterilitates, persecutio[n]es, & mille clades; sed nihil ita propè sentimus, ut ea, quæ corpus affligunt, qualia sunt famæ, vulnera, membrorum truncationes, & morborum cruciatus.

Nam,

C A P V T XII.

Quid? & quam magnum? & quam multiplex sit malum morbus?